



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1862

CCCLXXXII. Papst Julius gestattet dem Kurfürsten Joachim und Markgrafen Albrecht die Stiftung der Universität Frankfurt, am 15. März 1506.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55756)

Date Francofordii, Anno a Natali Dominico Millefimo Quingentesimo Sexto, Die vero Februarii vicesima sexta, Nostri Rectoratus sub Sigillo.

Beemanni Not. Univ. Frankof. p. 4—7 No. III.

CCCLXXXII. Pappst Julius gestattet dem Kurfürsten Joachim und Markgrafen Albrecht die Stiftung der Universität Frankfurt, am 15. März 1506.

Julius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. In suprema Apostolice dignitatis specula, licet immeriti, disponente Domino, constituti, ad vniuersas fidelium regiones cure nostre vigilantie creditas, earumque profectus et commoda, tanquam vniuersalis gregis Domini pastor, Commisse nobis speculationis aciem, quantum nobis ex alto permittitur, extendentes fidelibus ipsis ad querendum literarum studia, per que divini nominis, S. Steque Catholice fidei cultus protenditur, iustitia colitur et tam publica, quam privata res vtiliter geritur, omnisque prosperitas humane conditionis augetur, libenter favores gratiosos impendimus et opportune commoditatis auxilia impertimus.

Sane pro parte dilectorum filiorum, nobilium virorum, Joachimi, Sacri Romani Imperii Principis Electoris et Alberti, Marchionum Brandenburgensium, fratrum germanorum, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsi, in quorum dominiis sunt quam plura oppida et alia loca insignia, nec non Ecclesie, monasteria et beneficia Ecclesiastica, etiam regularia, copiosusque tam Ecclesiasticorum, etiam regularium, quam secularium, nobilium et mercatorum, aliorumque laicorum populi numerus, cupientes ejusdem populi ac totius Reipublice dictorum dominiorum suorum statum prosperari et cognoscentes, quod si in aliquo loco dictorum dominiorum ad id commodo, studium literarum vigeret Generale, quam plures, qui literarum studio operam dare optant, ad locum ipsum pro acquirenda scientie margarita, se conferrent et in illa non mediocriter proficerent, summopere desiderant pro vtilitate Reipublice et incolarum et habitatorum dictorum dominiorum et aliorum illuc accedentium, in eorum oppido Francofurt penes Oderam, Lubucensis Diocesis, quod admodum insigne et populosum et ad id accommodum existit et in quo viget aeris temperies et victualium vbertas et habitationum pro studentibus commoditas, ceterarumque rerum ad humane vite vsum necessariarum copia reperitur, erigi et ordinari studium generale in qualibet licita facultate.

Quare pro parte prefatorum Joachimi, dicti Imperii Archi-Camerarii, et Alberti, fratrum, qui etiam Stetinensis et Pomeranie Principes et Burggravii Nurenburgenses, ac Rugie Duces existunt et vt asserunt, Magistris et Doctoribus in dicto studio pro tempore legentibus de salario competenti providere intendunt et vehementer cupiunt, vt dicta eorum dominia scientiarum ornentur muneribus, dictumque oppidum et illius studium producat viros consilii maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus et diversarum facultatum dogmatibus eruditos, sitque ibi fons irriguus, de cujus plenitudine hauriant vniuersi Christi fideles vndique illuc confluentes et literarum documentis insistere volentes, nobis fuit humiliter supplicatum, vt in dicto oppido studium generale

erigere et que pro illius directione et conservatione necessaria existunt statuta et ordinationes statuere et ordinare, ac venerabilem fratrem Episcopum Lubucensem, pro tempore existentem, dicti studii Cancellarium deputare, aliisque jam premisssis oportune providere de benignitate Apostolica dignemur.

Nos igitur, qui, vt juxta sanctorum patrum decreta, humanum genus naturali et morali jure regatur et gubernetur, ac legibus Divinis et humanis omnis bene vivendi ratio consistat, perfecta literarum studia, quibus et Divini et humani juris scientia comprehenditur et ingenia hominum ad interpretandum altos Divine mentis conceptus et salubres sacrorum Canonum et Imperialium functionum intellectus erudiuntur, modis omnibus ampliari et consulere debemus, ut exinde doctorum Virorum copia, qui, quasi flores vernantes, decorem pulchritudinis præ se ferant in populis, dextra Domini existente propitia, valeat feliciter provenire, eorumdem Joachimi et Alberti, Fratrum, honestum et laudabile desiderium hujusmodi, plurimum in Domino commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati ad vniuersalem profectum et laudem Divini nominis, ac fidei Catholice propagationem et Romane Ecclesie et dictorum dominiorum exaltationem in dicto oppido generale studium, tam in Sacra Theologia, quam in Jure canonico et civili, Artibus et Medicina, ac quavis alia licita Facultate, in quibus, sicut in Parisiensi, Bononiensi, Senensi et Paduana, ac quibusvis aliis generalibus studiis, Ecclesiastici quicumque et qualiacunque beneficia Ecclesiastica obtinentes et laici Magistri et Doctores legant et doceant et studere volentes, vndecunque fuerint, studeant ac gradus solitos conferre et suscipere valeant, autoritate Apostolica, tenore presentium, erigimus; Et quod prefatus Episcopus Lubucensis, pro tempore existens, sit vniuersalis studii hujusmodi Cancellarius, qui aut per eum, seu sede Episcopali Lubucensi vacante, per dilectos filios, Capitulum Lubucense, quoad hoc deputatus Vicarius in qualibet dictarum facultatum commendabilis vite scholaribus, quos ad hoc Rector studii ac regentes Magistri sive Doctores facultatis, in qua graduari singuli postulabunt, seu major pars eorum idoneos reputaverint, gradus solitos conferat et illorum insignia exhibeat, de consensu Magistrorum et Doctorum eorumdem, et ex tunc illi, qui insignia hujusmodi sic receperint, licentiam habeant, tam in predicto, quam quibusvis aliis studiis generalibus absque alio examine aut approbatione legendi, docendi et cetera faciendi, que Magistri et Doctores cujusvis studiorum predictorum facere possunt: Et quod ipse Cancellarius seu vicarius et qui pro tempore fuerit dicti studii Rector et Doctores inibi residentes, vocatis secum in competente numero, prout eis videbitur, de qualibet facultate aliquibus Licentiatis et scholaribus providis dicti erecti studii, pro felici directione ejusdem studii, quecunque salubria et honesta statuta et ordinationes condere possint, eadem autoritate statuimus et ordinamus; Nec non omnibus et singulis Magistris, Doctoribus, Licentiatis et scholaribus ac studentibus et studere volentibus ad ipsum oppidum accedendi et inibi legendi, docendi ac gradus et insignia hujusmodi impendendi et recipiendi plenam et liberam licentiam concedimus, ac ipsis, pro tempore inibi regentibus et studentibus, ac qui gradus ibidem pro tempore receperint, quod ipsi singulis prerogativis, privilegiis, preeminentiis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, honoribus, favoribus, gratiis et indultis, per nos et predecessores nostros Romanos Pontifices, ac alia quavis, etiam Apostolica, aut alia Ecclesiastica vel mundana auctoritate seu potestate, quovis modo, studiis prefatis concessis et ab eis emanatis (quorum omnium tenores presentibus pro expressis haberi volumus) et quibus Parisiensis, Bononiensis, Senensis, Paduana et quecunque alia studia hujusmodi et in eis gratuati scholares et studentes vtuntur, potiuntur et gaudent, ac vti, potiri et gaudere poterunt, quomodolibet in futurum vti, potiri et gaudere possint et valeant, pariformiter et absque vlla differentia perinde in omnibus et per

omnia, ac si prerogative, privilegia, libertates et alia premissa eidem studio specialiter et nominatim concessa fuissent, eadem auctoritate et tenore concedimus pariter et indulgemus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre erectionis, statuti, ordinationis, concessionis, voluntatis et indulti infringere vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Viterbii, anno incarnationis Dominice millesimo quingentesimo sexto, Idon. Martii, Pontificatus nostri anno quarto.

Königs Reichsarchiv XIV, 481. Beemanni Not. Univ. Frankof. p. 11.

CCCLXXXIII. Conrad Wimpina's Notiz über die feierliche Eröffnung der Universität zu Frankfurt, vom 26. April 1506.

Anno Domini Millesimo Quingentesimo Sexto, die vero decima Mensis Februarii, Ego Conradus Wimpina de Buchen, Herbipolensis Diocesis, Artium Magister et Sacre theologie Professor, Tunc alme Vniuersitatis studii Lipsensis majoris Collegii Collegiatus ab illustrissimis Principibus et Dominis, Dominis Joachim, Sacri Romani Imperii Archicamerario Electore, et Domini Alberto, Marchionibus Brandenburgensibus, Stetinenfium, Pomeranie, Cassubie et Slavorum Ducibus, Burggraviis Nurembergenfibus et Rugie Principibus, Apnitente Reverendissimo in Christo patre et Dominis, Dominis Theoderico, ex nobili gente de Bulou, Sacre Lubucensis Ecclesie Episcopo in Rectorem studii Francofordienfis accersitus sum institutus et declaratus et in ipsa Intronisatione ejusdem studii, que fuit vigesimo sexto die Aprilis, anni supradicti confirmatus et promulgatus.

Anfangsworte der Frankfurter Universitäts-Matrikel nach Beemanni Not. Univ. Frankof. p. 47.

CCCLXXXIV. Der Rath verschreibt sich dem Conrad Wimpina für die diesem ausgesetzte Besoldung, am 28. October 1506.

Wir Borgermeister vnd Ratman der Stad Franckford an der Oder bekennen vnd thun kvnd öffentlich vor vns, vnfre nachkomenden vnd sunst ydermeniglich, nach dem die durchlauchtigstn hochbornen Furstn vnd Herrn, Herrn Joachim, des heiligen romischen Reichs Ertzkamerer, Churfurst, vnd Her Albrecht, Gebruder, Margraffe zu Brandenburg etc., vnser gnedigster vnd gnediger Herr, dem wirdigen hochgelarten Herrn Conrado Wympine, Doctor,